

natim cavetur. » Dynus hic n. 14, ubi adhuc aliud exemplum ponit.

13. *In legatis.* — De legatis exemplum ponit Dynus hic n. 2; Taccin. n. 6. Si penus in genere legatur Petro, et vinum in specie legatur Paulo, huic debetur vinum, etiamsi vinum sub penu contineatur l. *Qui penum*, 3, ff. *de Penu legat.* Idem est, si Titio vestimenta in genere, et Sophiæ vestis muliebris legatur; hæc enim etsi sub vestimentis in genere contineatur, Sophiæ debetur textu expresso l. 1, pr. ff. *de Auro et argento legato*; ibi: « Si alii vestimenta, alii vestis muliebris separatim legata sit, detractis muliebribus, et ei adsignatis, cui specialiter legata sunt, reliquum alteri debetur. » Ratio utriusque est: « quia generi per speciem derogatur. » Advertit tamen bene Dyn. hic n. 2, præfata et similia exempla intelligenda esse, si genus uni, et species alteri legetur: non vero si alicui prius genus, et postea eidem una vel plures species sub eodem genere contentæ legarentur; quia tunc generi per speciem non derogatur, sed per hanc illud magis firmaretur, et legatarius utramque obtineret.

14. *In testamentis.* — De testamentis post Dynum n. 12, ponit Strein n. 1, exemplum: Si quis patrem et filium in certa bonorum parte in solidum instituit, ac invicem substituit; in reliquis vero partibus alios hæredes instituit, et tandem universaliter sic concludit « Omnes invicem substituo »: in hoc casu sub hac ultima generali substitutione pater et filius, utpote certa parte specialiter invicem substituti, non continentur, l. *Cohæredi*, 41, § 5, ff. *de Vulg. et pupill. substit.*

15. *Et in omni materia, in qua dispositio specialis contraria est generali.* — Tandem procedit in omni materia, ubi specialis dispositio contraria est generali. Barbos. *de Axiom. Juris*. axiomate 107, n. 3; Surdus consil. 56, n. 1; Navarr. consil. 7, n. 5; Tusch. litt. G. concl. 16, n. 5, quia eadem ubique est ratio regula.

16. *Solvitur objectio.* — Objicitur contra regulam c. *Ex parte*, 12, *de Offic. delegati*, ubi priori generali rescripto de conferendo clerico N. archidiaconatu in ecclesia vacaturo, non derogatur per rescriptum speciale de conferenda clerico R. archidiaconatus dignitate. Resp. cum Glossa, tum cit. c. *Ex parte*, tum hic, quod ibidem. si bene intuemur, utrumque rescriptum fuerit speciale; quia primum rescriptum tantum ad unum beneficium restringebatur, fuitque purifica-

tum in specie, id est, in prima dignitate proxime vacatura.

17. *Fallit regula primo in privilegiis.* — Quæritur II. An et quas fallentias regula 34, habeat? Resp. eam inter alia fallere in sequentibus, et quidem primo fallit in privilegiis: quia rescriptum speciale non præjudicat privilegio generali, nisi de eo fiat expressa mentio, et derogatio. Barb. loc. cit. n. 26; Tusch. loc. cit. concl. 26, n. 99; Gloss. in c. *Cum ordinem. de Rescript.* et hic, arg. cit. c. *Cum ordinem.* ibi: « Non facta mentione Cisterciensis ordinis. »

18. Quin imo etiam secundum privilegium speciale non tollit primum generale eidem contrarium, nisi expressa derogationis fiat mentio, ut ait Gloss. hic. § *Generi*, arg. c. *Venient.* 19, *de Præscript.* ibi: « Non obstante privilegio Clementis papæ, per quod privilegio suorum antecessorum non extitit derogatum; cum de ipsis nullam fecerit mentionem. »

19. *Non item in rescriptis; et quare?* — Nec dicas: Rescriptum speciale derogat generali, sive sit secundum, sive primum: ergo idem dicendum de privilegio. Resp. enim Gloss. hic, negando paritatem; quia arg. c. *Veniens.* 19, *de Præscript.* et c. *Decret.* 6, *de Reg. jur.* in 6, cum concordant. semper valet primum privilegium, sive sit generale, sive speciale, si in secundo non tollatur expresse. Ratio disparitatis est inter rescriptum et privilegium, quia per primum privilegium etiam generale consequitur quis jus plenum: per primum rescriptum generale vero non acquiritur plena jurisdictio in speciebus. arg. c. *Pastorale de Rescript.* nam ante expressionem personarum vel rerum delegatus solum in habitu habet jurisdictionem, non vero in actu, et ideo facilius tollitur prius rescriptum, quam privilegium.

20. *Fallit secundo, quando genus tantum in una specie verificatur.* — Fallit secundo, quando genus in una tantum specie verificatur, et consequenter hæc illi contraria non est, quia tunc genus pro specie reputatur. Barb. loc. cit. n. fin.; Menochius consil. 71, n. 23, arg. l. 2, ff. *de Liber. et posthum. cum concord.*

21. *Vel species tantum pro declaratione adducitur.* — Fallit tertio, si species præcise adducitur pro majori declaratione generis. Barb. loc. cit. n. 22; Tusch. litt. G. consil. 36, n. 103. Ratio est, quia ibi nulla intervenit contrarietas.

22. *Fallit tertio, et quidem universaliter,*

quando per genus jam fuit quæsitum jus tertio. Fallit quarto, et quidem universaliter, quando per genus jam est quæsitum jus tertio; tunc enim generi per speciem non derogatur, nisi exprimat. Arg. c. *Super eo*, 15, *de Offic. delegat.* et l. *Qui generaliter*, 2, ff. *Qui potior. in pign. hab.* Gloss. in cit. c. *Super eo*. § *Intent.* et marginalis, hic. Exemplum esto: quando quis alicui creditori generaliter omnia sua bona per hypothecam obligavit, et postea cuidam prædium aliquod in specie hypothecavit, non derogat hypotheca specialis hypothecæ generali; quia prior creditor per generalem hypothecam in cuncta bona debitoris jus eatenus acquisivit, quatenus non amplius in potestate debitoris est, aliquod ex suis bonis alteri per specialem hypothecam obligare, et per hanc supervenientem creditoris prioris jus lædere, ejusque conditionem facere deteriore, textu claro l. *Si generaliter*, 6. C. *Qui potior. in pign. hab.* ibi: « Si generaliter bona sint obligata, et postea res alii specialiter in pignus detur, etc., non oportet te ab eo, qui postea credidit, inquietari, juncta l. *Qui generaliter*, 2, ff. eod. ubi idem repetitur.

REGULA XXXV.

PLUS SEMPER IN SE CONTINET, QUOD EST MINUS.

1. *Regula unde desumpta? et quibus concordet?* — Regula hæc deprompta habetur ex l. *In eo, quod plus*, 110, ff. *de Reg. jur.* ibi: « In eo, quod plus sit: semper inest minus, » et l. *In toto*, 113, ff. eod. ibi: « In toto et pars continetur »: cui suo modo concordant etiam plures aliæ juris regulæ, veluti 53, *de Reg. jur.* in 6, ibi: Cui licet, quod est plus, licet utrique, quod est minus. » Item 80, eod. tit.: « In toto partem non est dubium contineri. » Item regula, *Non debet*, 21, ff. *de Reg. jur.* « Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere. »

2. *Plus et minus diversimode sumitur.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda et quis verus illius sensus sit? Ante responsum notandum cum Barb. hic. n. 1, et aliis, « plus et minus » aliquid diversimode esse et dici: et quidem primo in quantitate, uti in summa, sive numero, in mensura et in pondere respectu minoris, l. 1, § *Si stipulanti*, ff. *de Verb. oblig.* in quo sensu decem plus est respectu quinque: quinque mensuræ plus sunt, quam duæ, etc. Secundo

in toto, quod plus est, quam quævis pars totius, quæ in eo continetur, et semper contineri censetur juxta cit. Regul. *In toto*, ff. *de Reg. jur.* in quo sensu domus plus est, quam quævis pars illius v. g. rectum, paries l. *Eum qui ædes*, 23, ff. *de Usucap.* Tertio in genere respectu specierum, l. *Si chorus*, 79, pr. ff. *de Legat.* III. Quarto in qualitate; in quo sensu plus est obligatio pura, vel in diem, quam conditionalis, § *Fidejussores*, 5, § *Item*. Instit. *de Fidejuss.* Hoc notato

3. *Ad præsens sumitur plus in quantitate et toto. Ponitur versus sensus regulæ.* — Resp. I. Regula intelligenda est duntaxat de ly plus et minus prout sumitur in primo et secundo sensu, de plus in quantitate et toto integrali: uti cum aliis loc. cit. bene observat Barbos. Quare verus regulæ sensus hic est: « Quantitas major sive in summa et numero, sive in pondere aut mensura semper et se continet quantitatem minorem. Et quod libet totum semper in se continet sui partem. » Ratio regulæ non tam ex jure, quam ex lumine naturali evidenter patet, uti bene observant Barb. loc. cit. n. 2; Tusch., tom. VII, lit. S. conclus. 885, et alii. Absque omni enim probatione per se naturaliter constat, plus esse centum quam viginti, indeque centum, quod plus est, continere in se viginti, quod minus est: consequenter eam, qui habet, promisit, debet aut dedit centum, habere, promissæ, debere, et dedisse etiam viginti. Sic pariter lumine naturali evidens est, totum aliquod plus et majus quid esse, quam hujusmodi totius partem, ac propterea in toto contineri totius partem: cum impossibile sit, subsistere, vel considerari posse totum sine sui parte, prout bene discurrunt doctores citati.

4. *Procedit regula in plurimis, uti ultimis voluntatibus.* — Verum quantumvis lumine naturali nota sit Regula et sensus illius, tamen pro applicatione practica declaratur, et firmatur etiam variis juris exemptis a Glossa hic, Dyno, Peckio, Streinio, Taccino adductis, quia fere ubique, uti in ultimis voluntatibus, sententiis, probationibus, et in quavis dispositione locum habet, uti patet ex verbo *semper*, et notant doctores citati: sic enim in ultimis voluntatibus si quis intendens alicui legare quartam bonorum partem ex errore scripsit dimidiam, debetur ei quarta pars, quæ dimidiæ, quæ plus importat, inest l. *Qui quartam*, 15, ff. *de Legat.* I et l. *Quoties*, 9, § *Sed si majorem*, ff. *de Hæred. Instit.* Item si quis absolutus est a petitione

universali v. g. petitione hæreditatis, gaudet etiam exceptione rei judicata contra petentem partes aliquas hæreditatis in singulari, l. Julianus. 8, l. Si quis eum totum, 7, ff. de Excep. rei judicæ, quia plus, id est, tota hæreditas continet in se minus, quod est quævis pars hæreditatis in specie.

5. In contractibus. — Sic in contractibus, si alicui stipulanti vigenti, aliter decem respondeat, non nisi de decem erit obligatio textu claro l. 1, § 4, ff. de Verb. oblig. ibi: « Si stipulanti mihi decem, tu viginti respondeas, non esse contractam obligationem nisi in decem constat. E contrario quoque si, me viginti interrogante, tu decem respondeas, obligatio nisi in decem non erit contracta; licet enim oportet congruere summam, attamen manifestissimum est, viginti et decem inesse. »

6. In sententiis et judiciis. — Sic etiam in sententiis et judiciis, si quis absolutus est a petitione totius, absolutus etiam videtur a quavis parte fundi, ita ut petenti aliquam partem fundi obstet exceptio rei judicæ, cit. l. Si quis cum totum, 7, ff. de Excep. rei Judicæ, quia pars tanquam quid minus continetur in toto, utpote quod plus est. Sic si inter tres conjudices vel arbitros unus in quindecim, alius in decem, tertius in quinque condemnat, sententia in quinque valet; quia in hac parte omnes conveniunt, cum hæc tanquam minus quid tam in decem, quam quindecim, utpote plus, vere contineantur, l. Diem proferre. 27, § Si plures ff. de Recept. qui arbitr. juncto c. 1, de Arbitr. in 6, ibi: « Licet cum unus in quindecim, alius in decem, tertius vero in quinque pronuntiant, illius, qui dixit de Summa minore (cum in illa omnes concordēs existant) sententia efficax censeatur. »

7. Solvitur objectio. — Objicitur autem contra regulam primo, c. Cui de non. 27, de Præbend. in 6, ubi aperte habetur, quod ei, qui mandatur integra, vel certi valoris præbenda conferri, non possit vi talis mandati apostolici aliqua dimidia, vel minoris valoris præbenda conferri, etiamsi talis esset contentus. Resp. cum Gloss. hic, id provenire ex forma mandati, quæ exacte est observanda c. Cum dilecta. 22, de Rescript. Unde in cit. c. Cui de non in fine suæ constitutionis Papa rationem subdit: « Non enim hujusmodi mandata (quorum fines diligenter observari oportet) debent ad casus alios, quam expressos extendi. » Accedit, quod re-

gula procedat duntaxat, quando minus se habet ut pars illius, quod est majus: non vero quando plus et minus sunt species separatae, uti sunt duæ præbendæ, quarum una majoris, altera minoris valoris est. Dyn. hic ad finem: Pirh. de Præbend. n. 267.

8. Objicitur secundo. Quando alicui conceditur merum imperium ut latrunculatori, non censetur ei concessa cognitio de re pecuniaria l. Solemus. 61, § Latrunculator. ff. de Jud. Ergo plus, quod hic est merum imperium, non continet in se minus, quod hic est cognitio causarum civilium. Resp. ut supra cum Dyno hic n. 6, merum imperium, et cognitionem causarum civilium non se habere ut totum et partem, sed ut duas species distinctas et separatas arg. l. Imperium. 3, ff. de Jurisdict. quarum una, etsi major, non continet minorem, sed potius dum una nominatim conceditur, altera denegata videtur, arg. cit. l. Solemus. 61, juncta l. Si ita quis, 21, et l. Cum ex filio, 39, ff. de Vulgar. et pupill. substit.

9. Regula affirmative, non item negative procedit. — Objicitur tertio. Ex eo quod Caio viginti non debeam, haud sequitur, quin eidem sim obligatus ad decem tanquam minus et partem contentam in viginti. Resp. Glossa marginalis hic: Regula procedit, « si affirmative » proferatur, v. g. debeo Caio viginti: ergo eidem et decem debeo: non item si negative proferatur, v. g. non debeo Caio viginti, ergo non decem. Et quamvis Covarr. lib. I, Var. resolut. ex pluribus doctoribus responsum Glossæ controversum reddat, tamen addit: etiamsi, an verum sit, majori summæ affirmativæ inesse minorem, controvertant doctores tamen manifestum est, majori summæ negative prolatae minorem nec naturaliter nec civiliter inesse.

10. Solvitur objectio de contractibus. — Objicitur quarto. § Præterea. 5, instit. de Inutil. stipulat. ubi si stipulanti decem, promittantur quinque, inutilis reputatur stipulatio, ibi: « Præterea inutilis est stipulatio et c. Si quis decem aureos a te dari stipulatur: tu quinque promittas, » cum tamen quinque in decem contineantur. Resp. stipulationem inutilem solum esse quoad illa ex decem quinque, ad quæ promissor stipulanti non consensit, quoad sola quina autem, quæ promissit, validam esse stipulationem l. 1, § 4, ff. de Verb. oblig. per textum n. 5, citatum.

11. Solutio universalis. — Plures alias ob-

jectiones adducit et solvit Glossa in l. Non debet cui, ff. de Reg. Jur. et universaliter facile solvuntur, respondendo, quod exempla ex jure in contrarium adducta non loquantur de plus et minus in quantitate, vel toto, circa quod hæc regula solum est intelligenda per dicta n. 3, vel aliter rem se habere ex defectu consensus; vel adesse specialem juris dispositionem, consequenter in ea fallere regulam.

12. Fallit regula in volente non totam, sed partem hæreditatis adire. Nemo partem testatus, partem intestatus decedere potest. — Quæritur II. An et quibus fallentiis subjaceat Regula XXXV? Resp. eam fallere primo, in casu quo hæres institutus non totam hæreditatem sed unam vel alteram duntaxat partem illius adire, ac reliquum repudiare vult; quamvis partes hæreditatis in hac tota contineantur, tamen jura expresse volunt, ut vel totam adeat, vel penitus absteineat, ne quis partim testatus, partim intestatus decedere videatur. arg. l. Sed etsi, 12, ff. de Acquirend. hæred. et l. Jus nostrum. 7, ff. de Reg. Jur. ibi: « Jus nostrum non patitur, eundem in paginis et testato et intestato decessisse, earumque rerum naturaliter inter se pugna est, testatus, et intestatus. »

13. In generali mandato non includuntur ea, quæ speciale mandatum exigunt. — Fallit secundo, in procuratore generaliter constituto, utpote qui non admittitur ad ea, in quibus speciale exigitur mandatum c. Qui ad agendum de Procurat. in 6, licet cæteroque « semper generalibus specialia insiat. » l. Semper. 147, ff. de Reg. Jur.

REGULA XXXVI.

PRO POSSESSORE HABETUR, QUI DOLO DESIIT POSSIDERE.

1. Regula unde proveniat? et quibus concordet? — Desumitur hæc regula ex l. Qui dolo, 131, ff. de Reg. Jur. ibi: « Qui dolo desierit possidere, pro possidente damnatur: quia pro possessore dolus est. » Cui concordat l. Parem esse, 150, ff. eod. « Parem esse conditionem oportet ejus qui quid possideat, vel habeat, atque ejus cuius dolo factum est, quominus possideret, vel haberet. » Item l. Ad ea, 157, ff. eod. ibi: « Semper, qui dolo fecit, quo minus haberet pro eo est habendus, quasi haberet. »

2. Finis regulæ est, avertere fraudem possi-

dentium, et damnum eorum, ad quos res pertinet. — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, quid principaliter intendat, et quis verus illius sensus sit? Resp. I, eam intelligendam de dolo malo, et principalem finem illius esse, avertere fraudes possidentium, ne dolose possessionem deserentes illis injuste noceant, ac præjudicent, qui rem a possessore juste vindicare intendunt. Quando enim malæ fidei possessor rem ad alium pertinere, huncque eam vindicare velle advertens, illam absumit, destruit, vendit, distrahit, ne ut possessor conveniri valeat, et eam subinde etiam cum fructibus restituere teneatur, dolose possessionem deserit, alter injuste præjudicat, et nocet, indeque fictione juris adhuc pro possessore habetur, quatenus ut talis vindicatione rei conveniri possit, l. Sin autem, 27, § 3, ff. de rei vind. actione saltem utili, qua petitur, ut rem suam, quam alter possidere dolo desiit, et distrahit, ab eis, ad quos pervenit, distrahens iterum recuperet, et restituat, vel si id præstare nequeat (quia forsitan res jam est destructa), ad æstimationem condemnatur l. Qui restituere, 68, §. Si vero ff. de Rei vind. Hinc bene ad propositum Glossa: « Si tu possidisti rem meam, eamque tu dolo possidere desiisti, eo quod data opera ad me fraudandam possidere desiisti, adhuc possum agere contra te rei vindicatione, ac si rem etiamnum possideres. Et quidem si possis rem recuperare a novo possessore, teneberis recuperare, mihi restituere: si minus, iudex te condemnabit ad æstimationem pretii. » Ratio est, quia « fraus et dolus nemini debet patrocinari, » c. Sedes. 15, et c. Ex tenore, 16, de Rescript.

3. Intelligenda est tam de bonæ, quam malæ fidei possessoribus. — Rursus intelligenda est regula non tantum de malæ, sed etiam bonæ fidei possessore; nam et hic in sui damnum pro possessore fictione juris habetur, et pro restitutione convenitur (intellige, nisi jam legitime præscripserit) si rem possidere dolo desiit. Strein hic n. 2, et alii, textu claro l. Si bonæ, 12, ff. de Noxal. act. ibi: « Si bonæ fidei possessor eum servum, quem bona fide possidebat, dimiserit, ne agi cum eo noxali ex causa possit, obligari eum actione, quæ datur adversus eos qui servum in potestate habent, aut dolo fecerint, quominus haberent, quia per hoc adhuc possidere videtur. »

4. Ac etiam de illis, qui possidere dolo omiserunt. — Ulterius intelligenda est non tan-

tum de illo qui vere possedit, et dolo desiit possidere, sed etiam de illo, cujus dolo factum est, ne possideret rem, et ne ut possessor conveniatur, ac condemnatur, l. *Is qui*, 69, ff. *de Rei vindic.* ibi: « Is, qui dolo fecit, quominus possideret, hoc quoque nomine punitur, » et l. *Ad ea*, 157, ff. *de Reg. jur.*, cujus textum n. 5, allegavimus, juncta l. *Sed etsi* 25, § 8, *de Hæredit. petit.* ibi: « Nam et is, qui dolo fecit, quominus possideret, ut possessor condemnatur: accipies, sive dolo desierit possidere, sive dolo possessionem noluerit admittere. » Subaudi, si in eo est causa, ut ex contractu, vel quasi contractu teneatur possidere.

5. *Item de illis, qui non quidem dolo, lata tamen culpa possessionem deseruerunt, vel acquirere omiserunt. Lata culpa, et dolus æquiparantur in civilibus.* — Procedit etiam regula in casu, quo quis non quidem ex vero dolo, attamen ex culpa lata rem possidere desiit, aut possessionem illius non acquisivit; nam et talis rei vindicatione, actione utili conveniri potest ad æstimationem rei culpabiliter amissæ, vel non possessæ. Strein hic. n. 2. Bart. in l. un. *C. de Alienat. jud. mut. caus.* et alii, l. *Si culpa*, 63, ff. *de Rei vind.* ibi: « Si culpa, non fraude quis possessionem amiserit pati debet æstimationem. » Ratio est, quia (excepta causa criminali, l. *In lege*, 7, ff. *Ad Leg. Cornel. de Sicar.*) culpa lata, utpote dolo proxima, ordinariæ æquiparatur dolo, arg. l. *Mulier*, 22, § 3, ff. *ad S. C. Trebell.*

6. *Dolo, vel lata culpa possessionem deserens, vel illam non acquirere habetur possessor in sui damnum, non in sui commodum.* — Porro, quod hactenus dictum est, eum, qui dolo, aut lata culpa possidere desiit, aut acquirere omisit, fictione juris haberi pro possessore, intelligi debet « in sui damnum, » quatenus videlicet ut possessor possit rei vindicatione, directa vel utili actione conveniri ad restitutionem, vel æstimationem rei; non vero « in sui commodum, » ut tanquam possessor habitus aliquod commodum inde sentiat. Dyn. hic, n. 3; Vivian. hic; Strein hic, n. 3, arg. l. *Qui dolo*, ff. *de Reg. jur.* ne alias ex iniquitate commodum reportet contra c. *Ex parte, de Rescriptis.*

7. *Dolus non præsumitur, sed probari debet. Probatur ex conjecturis.* — Cæterum notandum, quod dolus non præsumatur, sed probari debeat. Dyn. loc. cit. n. 4, l. *Quoties*, 48, § *Qui dolo*, ff. *de Probat.* Probatur autem

dolus ex conjecturis c. 2, *de Remunt.* in 6, ut si, postquam jam oblati sunt libelli, vel quod illam offerre vellet, insinuatum est possessori, et multo magis si hic jam fuit citatus, aut jam esset contestaturus litem, et tamen desineret possidere, præsumitur dolo desinere. Dyn. hic. n. 4, arg. l. *Quædam*, 9, § *Nihil*, ff. *de Edendo*, cum concordant.

8. *Ponitur verus sensus regulæ. Fraus et dolus nulli patrocinari debent.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « Qui rem aliquam bona vel mala fide possidet, eamque ab alio vindicandam advertens, illam dolo malo, aut lata culpa possidere desinit, eandem consumendo v. g. vel destruendo, aut in alium distrahendo, pro possessore adhuc in sui damnum habetur, et ut talis pro restitutione, vel æstimatione rei conveniri potest. » Per jura hactenus allegata, et ratio est; quia alias ex fraude et dolo quis commodum, et innocens incommodum ac præjudicium frequenter reportaret contra c. *Sedes*, 15, et c. *Ex tenore*, 16, *de Rescript.* ibi: « Fraus et dolus alicui patrocinari non debent, » juncta l. *Ne ex dolo*, 12, ff. *de Dolo malo.*

9. *Fictione juris censentur aliqua esse, quæ non sunt.* — Exigua est contra regulam objectio, quod possessio sit facti, l. 4, pr. et § 1, ff. *de Acquir. possess.* ergo « non possessio, » quæ per desertionem evenit, eidem comparari, et « possessor ac non possessor » æquiparari, pro eodemque haberi nequeunt. Resp. enim: Non possunt æquiparari naturaliter, conceditur, fictione juris in ordine ad obtinendos eosdem effectus, negatur. Hinc in jure plura similia habentur exempla: sic enim l. 2, *C. de Impub. substit.* Pater et filius quoad effectus pro una, eademque persona sumuntur. Et c. *Ad audientiam*, 15, *de Cleric. non resid.* Clericus in servitiis episcopi absens habetur pro præsentem, ac monachus vivus pro mortuo reputatur. can. *Placuit*, 8, cau. 16, q. 1, ibi: « Quia mundo mortuus est, Deo autem vivit, » cum concordat.

10. *Contra illum, qui actu adhuc male possidet, datur actio directa: et contra illum, qui fictione juris pro tali habetur, actio utilis. In quo differant hæ actiones.* — Non majoris difficultatis est illa objectio qua dicitur: Contra possessorem rei actualement datur actio directa, contra eum vero, qui dolo desiit possidere, actio tantum utilis: ergo æquiparari nequeunt. Resp. Quod etsi actio directa et utilis origine differant, in effectu tamen ad pro-

positum obtineant idem, sola illa cum differentia, quod actione directa semper res ipsa apud possessorem adhuc existens vindicetur: actione vero utili obtineatur, ut res in alterum distracta per dolose distrahentem iterum recuperetur, et restituatur in natura, aut si fieri amplius nequit, re forsam jam destructa, æstimatio illius præstetur l. *Qui restituere*, 68, § *Si vero*, ff. *de Rei vind.*

REGULA XXXVII.

UTILE PER INUTILE NON DEBET VITIARI.

1. *Regula unde desumpta?* — Regula isthæ desumitur ex l. 1, § 5, ff. *de Verb. obl.* ibi: « Duæ sunt quodammodo stipulationes, una utilis, alia inutilis, neque vitiatur utilis per hanc inutilem, » cum concordant. a Glossa citatis hic.

2. *Utile et inutile quid?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp., quamvis nonnulli cum Baldo lib. II, *Feud.* tit. XXXIV, § *Similiter*, putent per *utile* hic intelligi omne et solum illud, quod spectata natura rei, de qua agitur, et dispositione legis validum, aptumque est ad valide agendum; per *inutile* e contra illud, quod ad valide agendum invalidum, et ineptum est; tamen, quia multa sunt, quæ ad valorem actus non requiruntur, et tamen *utilia* censentur: et multa, quæ valorem non destruunt, et nihilominus *inutilia* reputantur, uti patebit ex infra allegandis exemplis: ideo, loquendo in latiori sensu per *utile* hic omne illud intelligi volunt alii, quod vel ad valorem rei, de qua agitur, requiritur, aut ad eundem servit, vel alias pro eadem re, etiam abstrahendo a valore, pro meliori, firmiori, aut securiori illius esse, conducentis et aptum est: per *inutile* vero illud intelligi, quicquid contra legem, vel alias ad naturam rei, de qua agitur, et valorem illius ineptum est. Taccin. hic; Strein hic. n. 1. Hinc

3. *Ponitur verus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « Quicquid esse, sive de jure validum, vel alias ad efficiendam, firmandam, aut assecurandam rem aptum et conducentis est, valorem et vim suam non amittit adjunctione, vel accessione alicujus de jure prohibiti aut invalidi, vel alias inepti. » Ratio est, tum quia communis agentium et contrahentium mens ac intentio est, ut ea actuum suorum fiat inter-

pretatio, quatenus potius valeant, quam pereant, vel nullius valoris existant: consequenter si quid inutile actibus eorum admisceatur, ab eis amoveatur, vel pro non adjecto habeatur, ut in reliquis actus suum valorem retineant, c. *Abbate*, 25, *de Verb. signif.* et l. *Quoties*, 42, ff. *de Reb. dub.* ibi: « Quoties in actionibus, aut in exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat, quam pereat, » juncto l. *Sancimus*, 34, *C. de Donat.*; tum quia nisi hoc observaretur, et per quodvis inutile semper vitiaretur utile, plurimi actus alias subsistentes, invalidi existerent non sine confusione et præjudicio humani commercii. Vivian. hic; Strein, n. 1.

4. *Valde late procedit.* — Regula hæc latissima est, et frequentissime in praxi observanda venit, hoc ipso, quod fere in omnium ecclesiastica et spirituali, quam profana materia, cunctisque actibus locum habeat, si, ut persæpe fit, eis quid inutile ac superfluum, ac rem non pertinens vel ineptum admisceatur, adeo, ut teste Dyno hic, n. 1, hujus regulæ inveniantur innumerabilia juris exempla, ex quibus patet, per adjectionem alicujus inutilis actum, cæteroque validum, non invalidari, consequenter utile per inutile non vitiari. Plurima hujusmodi exempla adducit Glossa hic, Dynus et alii; ex quibus nos quoque pro majori declaratione et intelligentia regulæ aliqua hic subjungimus.

5. *Declaratur exemplis. Donatio ultra quingentos solidos valet saltem quoad quingentos.* — Sic enim primo: Donatio profana inter vivos quingentos, solidos excedens, et sine insinuatione apud judicem facta, non vitiatur, seu invalidatur quoad summam a jure permissam, sed quoad excessum duntaxat, textu claro l. *Sancimus*, 34, *C. de Donat.* ibi: « Si quid autem supra legitimam definitionem fuerit donatum, hoc, quod superfluum est, tantummodo non valere: reliquam vero quantitatem, quæ intra legis terminos constituta est, in suo robore perdurare, quasi nullo penitus alio adjecto, sed hoc pro non scripto, vel non intellecto esse credatur. » Et infra: « Exceptis donationibus tam imperialibus, quam his, quæ in piissimas causas procedunt. » De hujusmodi donatione amplius vide lib. III. tit. 24, § 1, *de Donat.*

6. *Plura promittenti, quam fuit petitum valet ad minus.* — Secundo in stipulationibus